

17. Nov.

ab 17. Nov. 8.

1790.

1. Bartels, Anna Maria: *De transactis partibus
in iustis inferari possit?*
2. Immerich, Jacobus Riederius Georgius: *No libam expensis
genuit causas civiles.*
3. Kämpf, Christoph Carolus Henr. &c: *De fundamento et
limitibus obligationis liberorum effecta parentum
praestanda*
4. Nölker, Anna Gottliebe: *De beneficio inventario
Hamburgens: liberum*
5. Anckov, Francis Emanuel: *De cardinale, quibus
lex quaedam prescripta est.*
6. Seidensticker, Dr. Nat. Law. et. Kämpf, Christoph Carol.
Henr. &c: *De legum heraldicarum studio nostris temporibus
hanc in opportunitate.*
7. Sittler, Hieronymus Wildom: *Nigra caputa in editio
documentorum occurrentia.*

8. Wackenrodt, Georgio Giuliano: Generales de le habilitate
vulnerum rite dignarunt observationes et analiecta.

9. Wackerhage, Dr. Carolus Christianus: De principio et
limitibus obligacionis liberorum ad facta parentum prae-
staunta.

10. Niese, Georgius: De fundamento et limitibus obli-
gacionis liberorum ad facta parentum praeclanda.

1791

1. Annelman, Fridericus Georgianus: De cessione noninum
et in specie de concursa plurium creditorum in exigendo
corso debito.

2. Annelman, Paris von Hermann: De compensatione et
specialib[us] de debito tertio compensando.

3. Eggers, Chr. Ulric. Detm. de: De iure imperantio liberto-
rem personalem perfectam restituendis iusticis gleichae
adscriptio

- ab. 3. Nov. 8.
1. Haes, Iosephus Magius Ferdinandus: *No effectu
exceptione res iudicatae in territorio alieno-*
2. Hertung, Petrus Christianus: *Decura sexus tam
Affica et Romana quam Germanica et speciation
Hamburgenis*
3. Schrefterringk, Martinus Dionysius: *No obsecrato
Item naturalesque quam civiles talis, an et quantum
jure Hambugensi validi contrahere et in iudicio agen
possit.*
4. Seelkow, Iacobus Willelmus: *No praescriptione actionis
Lipotthecuriae*

in the first instance, simple and
natural, but also in the case of the
most refined and subtle
poetry, the elements may consist of nothing
but words and sounds, which are
not necessarily connected by any
natural or logical sequence, but
are combined by the poet's
genius, according to his own
will and pleasure, and are
arranged in such a way that
they may produce a certain
effect upon the reader.

25 1790, 1
PROLVSIO SISTENS
BREVEM QVAESTIONIS IN DISSERTATIONE
IN AVGVRALI IVRIDICA MOX FVSIUS EXPO NENDAE
EXPLICATIONEM

7506
TRANSACTIO PARTIBVS
INVITIS IMPERARI POSSIT.

Q V A M
CONSENTIENTE
ILLVSTRI IVRECONSVLTORVM ORDINE

A. D. VI. APRILIS MDCCCLXXX

H. L. Q. C.
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE CONSEQUENDIS

DEFENDENDAM SVSCIPIET
IOANNES HENRICVS BARTELS
HAM BVRGENSIS

REG. SOC. SCIENT. GOETTING. ASSESSOR. ATQVE REG. INSTIT. HISTOR. GOETT.
SODALIS EXTRAORD. NEC NON ACADEMIAE VOLSCORVM VELITERNAE
SOCIVS.

GOETTINGAE
TYPIS IOANN. CHRISTIAN. DIETERICH.



СУДЪИ СЪДЪИ СЪДЪИ
СЪДЪИ СЪДЪИ СЪДЪИ СЪДЪИ

СЪДЪИ СЪДЪИ СЪДЪИ СЪДЪИ

СЪДЪИ СЪДЪИ СЪДЪИ СЪДЪИ

СЪДЪИ СЪДЪИ СЪДЪИ СЪДЪИ

СЪДЪИ СЪДЪИ СЪДЪИ СЪДЪИ



abm. 1. Abt. C.

INCLYTAE

LIBERAE SACRI ROMANI IMPERII

REIPUBLICAE HAMBVRGENSIS

SENATVI

SPLENDIDISSIMO ET AMPLISSIMO

VIRIS

PERILLVSTRBVS, MAGNIFICIS, CONSVLTISSIMIS
AC EXCELLENTISSIMIS

PATRIAE PATERIBVS
OPTIMIS

HANC QVALEM CVNQVE SCRIPTIVNCVLAM

EA QVA PAR EST REVERENTIA

D. D. D.

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSERVANTIESIMVS

AVCTOR.

PROOEMIVM.

Cursu academico, quem emitiri solent Iurisprudentiae studiosi, a me absoluto, cum iam totus in eo essem, ut specimen qualemque ingenii et eruditonis, quale ab iis, qui summos in iure honores ambiunt, vulgo dari solet, exhiberem, hisque adeo curis omnem cogitationem impenderem, casus inopinatus, cum aegrotanti amico ac populari mihi assistendum, et in nosocomio potius quam musarum contubernio esset degendum, calamum quasi ex manu

A 3 extorsit.

modi

extorsit. Quare cum officio meo non ex votis satisfacere possim, nil mihi reliquum video, quam vt, consensu ac beneficio Illustris I^ctorum ordinis, scrip-
tiunculam hanc, breui temporis spatio contextam, in
publicum edam, quae generalem continet ipsius li-
belli conspectum, quem mox publici facere iuris
in animo mihi est. Ne ideo nimis grauis mihi sit L.
B. iudex maximopere peto.

Dispu.

100. 100. 2.

Disputationis quam vocant inauguralis argumentum defumsi e capite de Transactionibus, saluberrimo illo remedio, quod eo fuit introductum consilio a legislatoribus, ne in iudicium protracti, cum potius et sibi et suis existimarent a lite desistere, contentione excitata, nunquam, nec ante item judicialiter motam, nec post pertractionem judicialem absque ullo permanerent remedio ac alleuamento. Attamen, cum auctorum, qui ante me de Transactionibus, tam in genere, quam in specie de diuersis amicabili compositione lites finiendi modis, verba fecerunt, ingens fit numerus, praemonendum erit, quare cursum iam a multis, ut videtur, confessum denuo iterare non plane inutile existimem. Euolutis scilicet omnibus tractatibus a LIPENIO, eiusque emendatoribus SCHOTTIO AC SENKENBERGIO copiose citatis, perpaucos tantum inueni scriptores, qui in illud huius doctrinae caput, quod Transactionem vel imperatam vel a quocunque Iudice, tam inferiore quam superiore, inuitis partibus impositam vulgo appellare solent, inquisuerint, nullumque plane vidi, qui totum hocce confecerit argumentum

tum

tum et quae ei sint maxime peculiaria exhauserit. Quare nec inutile nec inane mihi esse videtur admonente ipso Viro Perill. BOEHMERO, omnium ICtorum qui nostris sunt temporibus, facile principi, mihiique amicissimo, accuratius hoc transactionis genus pertractare, limitesque eius, quantum vires fuerint, diligenter constituere. Quousque res illa mihi ex sententia succedet, libellus ipse ostendet: nunc vero per pauca de instituti mei ratione praemonere liceat.

Quam intricata sit quaestio: „an transactionis vel amicabilis compositione imperari possit?.. facile quisque cognoscet, qui curam diligentiamque suam in eo collocauerit, ut naturam transactionis perscrutaretur ficeretque opinionum Doctorum inter se comparationem. Cum enim, natura huius lites finiendi remedii, edicti simus, partium consensum esse omnium transactionum fundamentum, ita ut, lege praeципiente, nec minus in iis ab initio esse debeat consensus, quam in omnibus contractibus; primo adspectu res certa, manifesta atque expedita videtur esse, omnem coactionem non modo repugnare transactioni, sed funditus eam tollere. Nihilo tamen secius rem non ita se habere contendunt ICtorum multi, et inter eos etiam viri magni nominis et eruditionis, quorum hac de re sententias breuiter recensere liceat.

Sunt

Sunt enim primo, qui, licet iure communi negandum sit, attamen nihilominus simpliciter affirmant, Iudicem vel litigaturos vel litigantes ad concordiam compellere et cogere posse: vt v. gr. VENTVRA DE VALENTIIS in Parthenio litigioso a), qui, cum pluribus aliis satis prolixe ab illo citatis, hanc profert sententiam: Iudicem neminem facile ad transactionem cogere posse; sed, cum transactio illi sit omnis actus per quem a lite receditur, contendere non haesitat, coactionem in totum compositioni non repugnare, iudicemque in omnibus iis casibus eam amplecti posse, in quibus publicae est utilitatis, vt discordiae tollantur. Quod cum lubricum sit ac nimis vagum, non in eo refellendo ac redarguendo tempus teram, Quo modo vero ab auctore nostro — amicalem, inquiete compositionem non dependere ex voluntate et arbitrio litigantium, sed auctoritate publica fieri — erroris culpa dimoueri queat, equidem nescio, cum, vt mea fert sententia, ne cogitari quidem possit compositione absque partium libera voluntate ac arbitrio.

Sunt porro alii, siue plurimi, qui cum communi quidem Doctorum schola ita sentiendum esse profitentur, concordiam regulariter suaderi, non imperari posse, pacemque

a) L. II. c. 4. n. 22.

B

que bonum, ut dicunt, esse persuasibile non compulsibile: attamen affirmant, Iudicem quandoque, iustis ex causis, ab hac regula recedere posse. Ita GAILIVS in Tractatu de pace publica *b)*, MEVIVS in Dec. *c)*, LAVTERBACHIVS in Coll. theor. practico *d)*, GONZALEZ TELLEZ *e)*, KLOCKIVS *f)*, HARPPRECHT *g)*, alii. Praesertim octo numerantur causas, in quibus coactionem permittam esse doctores contendunt, quos omnes Vir Cel. HARPPRECHTIVS l. c. attulit, quosque, ut rite controversiae status formetur, non incongruens nobis videtur hic repetere.

Primo videlicet, Iudicem, dicunt *h)* potestatem habere partes litigantes ad pacem seu concordiam compellendi, quando lis inter duas pluresue personas oborta, cum publico scandalo coniuncta sit, praesertim si litigantes personae publicae sint, ita ut litigio illorum non solum officia ac pro republica functiones in periculo versentur, sed etiam dignitas muneris polluantur.

Secundo

b) C. 18. n. 9 seq.

c) Part. I. Dec. 224.

d) De Transact. 32.

e) In L. I. Decret. T. 6. de electione et electi potest. CXVI. cum inter p. 280.

f) CASP. KLOCKII supplem. Consil. T. IV. Conf. 85. n. 30. 31.

g) In doctissima sua dissertat. de Transactione judiciali,

h) HARPPRECHT l. c. §. XI. n. 102 seq.

Secundo i), si lis sit inter personas illustres vel alios insignes, qua quidem Respublica, seu publica quies turbari possit, v. gr. si dissensio sit inter duos belli Duces vel Magnates, vel etiam potentissimos ciues, ex qua Reipublicae vel Principis statui detrimentum inferri queat. In primis hanc doctrinam obtinere dicunt, in maxime odiosis, et ut plurimum acerbis iniuriarum causis, si videlicet iusta aliqua causa concurrat; e. gr. si lis super iniuriis cum publico scandalo coniuncta sit, vel actio ita sit instituta, vt ex compositione auctor idem obtenturus sit, quod ex diuturno litigio speret, veluti si ex L. diffamari officium iudicis sit imploratum, vt reo silentium imponat, reusque id sponte promittat, et iniurias aut verba, quae quidem in contumeliam prolata dicuntur, simul inficietur.

Tertio. Si metus subsit armorum sive timor, ne partes ad arma descendant, atque ita ob rixam priuatam non solum status Reipublicae turbetur, sed etiam strages ac clades aliorum exinde sequantur. Hoc argumento adducti, a minori ad maius procedunt Doctores, affirmantes, hanc cogendi potestatem iudici etiam semper conuenire, si inter duas Vniuersitates seu communitates talis periculosa gliscat dissensio.

Quarta transactionis coactae causa esse dicitur: si lis iam diu inter partes durauerit, vt propter perplexas eius

B 2 difficulter

i) HARPPR. l. c. §. XII. n. 110.

difficultates nulla certa decisio a iudice inueniri possit. Interest enim Reipublicae, vt tandem litium, praecipue talium, quae inter ciues motae sint, finis sit, et vt ipsi ab expensis ac litigiis liberentur.

Quinto contendunt coactam transactionem admittendam esse, si articulus controversus de apicibus iuris et adeo subtilis sit, vt ob rationes hinc inde militantes, utri parti assentiendum sit, non appareat. Quam rem tunc paeprimitis locum habere censem, quando lis est inter personas coniunctas, vel vtraque pars de lucro certat.

Sexto, coactionem admittunt quandoque Iudicialem Doctores, ob caussae fauorem: v. gr. alimentorum, in primis si causa sit intricata: attamen id obtinere nolunt in aliis priuilegiatis caussis: e. gr. dotis vel sumtuum in causa.

Septimo etiam Iudicantibus cogendi potestatem competeret volunt ICtorum quidam, si litigium inter personas valde inuicem coniunctas sit.

Octavo denique, si de tertii praeiudicio agitur.

In adducenda *causa efficiente* coactae transactionis admodum differt HARPPRECHTUS suorumque sententia, ab ea, quam supra VENTVRAE DE VALENTIIS esse diximus, qui coactam compositionem non de litigantium voluntate ac arbitrio pendere

dere vult: cum Ille e contrario in iam laudata sua dissertatione contendat k), causam efficientem proximam huius transactionis speciei esse *transigentium voluntatem*, ad normam regulae ex L. 21. §. 5. D. quod metus causa gestum erit, vbi haec inueniuntur verba: *quamvis si liberum fuisset noluisse, tamen coactus volui.* Quo modo licet omnes difficultates effugisse, ac planissime et, vt ita dicam, ad oculos demonstrasse credunt Doctores, transactionis naturae tale coactum negotium non repugnare; attamen mihi dubia magis *verbis*, quam *re ipsa* remouisse videntur, cum:

1) primo res illa semper firma et stabilis maneat, transactionem conuentam esse decisionem, conuentionem autem duorum in idem placitum consensum, consensui vero nihil magis obstare, quam vim et coactionem l); facile patet, omnem sine dubio transactionis naturae repugnare coactionem.

2) Deinde etiam ex analogia, quam adducunt, nihil colligendum est. Dicunt enim, cum in aliis negotiis ex iustis singularibusque causis consensus imperari partesque compelli possint, ex. gr. ad contractum mutui, emptionis venditionis, locationis conductionis, et sic porro, nemini

B 3 mirum

k) Cf. §. IX.

l) Cf. KAPFF de transactione imperata §. 5.

mirum videri debere, et in compositione eam locum reperire: quas quidem, ut mihi videtur, sententia plane falsa est, nam licet transactio sit species conuentionis onerosae, attamen in ea non plane et in omnes partes effectus, qui Romano iure contradicibus onerosis adsignantur, conueniunt, nec res compositione decisâ, si in disceptationem venit semper ad regulas, quae in aliis seruantur onerosis contractibus, corrigitur *m).* Arbitrium enim, quod in his adest, multis modis ab eo differt, quod in transactione occurrit; nam primarius in illis pacientium est finis *aequalitas*, quam ex communi rei pretio constituant; non ita in hac, qua finem intendunt litium vel tantum imminentium vel iam motarum transigentes, ad aequalitatem non attendentes. Qua de causa quasi semper fit, ut, partibus scientibus, in transactione ab uno res magni pretii loco illius, quae longe minoris est, dimititur.

Accedit adhuc:

3) quod coactio illa, in supra adductis contractibus onerosis, a legibus non solum permissa, sed etiam praescripta, exceptionem a regula sifflat; exceptiones vero semper strictae sunt interpretationis, nec pro latitu extendi queunt: quod porro coactio in eo negotio litigioso ac dubio, quo aequalitas

m) Quam rem singulari ingenii acumine exposuit HEIMBURG in diff. de transactione judiciali inuita §. XI. XII.

litas intenditur, non iniuste fieri possit; in eō vero, quo quis iuri suo, vel in totum, vel quoad maiorem partem renunciare debet, omnibus iuris regulis ac praecepsis contraria sit. Accedit denique adhuc, coactionem, faltem secundum legum praeepta, in supra adductis contractibus onerosis solummodo admittendam esse, alio medio, quo necessitatibus subueniatur vel res explicetur, plane deficiente: esse vero lites, quarum finiendarum medium unicum et necessarium sit transactio iuita ac imperata, nunquam persuadere mihi potui, meritoque a Viro Cef. HEIMBURGIO ⁿ⁾ negatur.

Sed redeamus ad propositum nostrum. Duabus variis de transactione partibus iuitis imposta, Doctorum sententiis adductis, nunc reliquum est, ut pauca adhuc, de tertia quadam optimorum ICtorum opinione, referamus, quorum in partes transire malim. Nam ii transactionis naturam rite perspicientes ac constituentes, omnimode insificantur, litigiosos a iudice ad transactionem compelli posse, inter quos nomina HEIMBURGI, ZIEGLERI, WERNHERI, DE PLOENNIESII etc. ut prima coeli lumina splendent ^{o).}

Quo

ⁿ⁾ In diss. cit. §. LXV.

^{o)} HEIMBURG in Dissert. de Transact. iudiciali iuita Jenae 1769. qui docte atque solito ingenii acumine hac de re commentatus est, doctisque docet argumentis, transactionem iuitam trans-

Quo modo, omnibus, quantum equidem scio I^Ctorum
hac de re sententiis perspedis ac repetitis, proprius ad rem
acceda-

transactionis nomen non mereri, quia et arbitrium, quod
omnibus pactionibus commune est, et id, quod speciatim trans-
actioni inesse debet, in iudiciali inuita plane cestat composi-
tione. Leges etiam Iuris communis, quibus allatis ii, qui
coactionem amicabili compositioni non repugnare contendunt,
sententiam suam euincunt, et praesertim L. 13. §. 3. D. de
vulfr et L. 21. D. de reb. cred. optimo interpretatus est modo,
probatque, ne minimum quidem in iis inueniri vestigium de
coactione ad transactionem. Eo denique procedit, vt omnem
qualemcumque compulsionis utilitatem plane neget, contendat-
que nunquam eam peculiaris causae qualitate suaderi posse.
Inueniuntur vero alia et quidem praefrantiora remedii quibus
partibus imponitur pax et concordia.

In eandem abit sententiam ZIEGLERVS, qui in aureo suo
libro, quem Dicastice sive de iudicium officio et delictis ins-
criptis, in Conclusione XXII. expressis sustinet verbis: etiam si
iudici incumbat amicabilem compositionem inter litigantes in-
stituere, si tamen illi persuaderi non poterunt, compellere eos
ac cogere ad concordiam nequit. Adductis deinde exceptio-
nibus ab GAILIO loco supra citato relatis, haecce praefan-
tissima apponit verba. „In omnibus illis casibus si qua com-
pulsio ac coactio locum habere debet, ex iurisdictione ea pe-
tenda est, sed quae longe alium finem propositum habet, quam
concordiam inter partes restaurandam. Si timor armorum sub-
est inhibitionibus et interdictis plus tribuendum est, quam
concordiae per coactionem, et sic tantum in speciem initae:
processus longacuitati iudex ipse fibulam iniicere potest, cer-
tos

accedamus. Ipsa iam satis probat opinionum diuersitas, intricatum esse argumentum propositum, nec vulgarem, ne a via recta aberremus, ingenii requiri subtilitatem ac diligentiam

tos cuique negocio sub poena paeclusionis statuendo terminos, eosque adhuc tum vi iurisdictionis suae. Nec talis unquam ex coacta reconciliatione expectari poterit fructus, quam ex sententia, siue iuste siue iniuste, prolata, dum ea vires rei iudicatae acceperit.,,

WERNHER in Observ. forensib. T.I. obs. 225. Non apparet, inquit, quo modo tali etiam casu, partes ad ius suum transactione remittendum, cogi possint, nam publicae tranquillitati per interdicta ac inhibitiones satius consulitur, et melius fortasse quam per concordiam, quae, cum a vi et coactione pendeat, non vere, sed in speciem solum iniri solet. Quo circa, si index vim adhibeat, siue officii limites egressus, aliquem ut Iuri suo renunciet, ac cum aduersario suo transfigat, compellere conetur, iniuriam facere intelligitur, propter quam actio contra eundem datur.

DE PLOENNIES in tractatu de Transactionibus §. 110. qui etiam iudicem, qui ad transigendum partes cogit, iniuriarum actione conveniri posse contendit, quia, non solum iuris naturae principis repugnat, iniuitos ad transactionem compellere; sed etiam nulla necessitas hanc compulsionem suadet. Index ideo, denique concludit, partes cogentis in transactionis negotio fuscipiens, contra ius perfectum partium agit, et eadem actione conueniri potest, qua is conueniatur, a quo aliquid contra alterius ius perfectum sit, iniuriarum nempe actione.

C

gentiani ad omnia rite separanda accurateque distinguenda. Quod cum animo perpenderem, primo ad aspectu parum abfuit, quo minus a proposito, de coacta transactione publice sententiam meam proferendi, desisterem, praesertim cum mihi, vix primis iuris principiis imbuto, vix sperandum esse viderem, fieri posse, vt per tot tantaque impedimenta recta semper incederem via, a qua et doctissimi homines interdum aberrarunt. Interea nihilo fecius semper laudabile mihi videtur, vires suas in re dubia ac ardua periclitari, ac nisi ex sententia succedat propositum, hoc sibi parare solatum, in magnis saltet voluisse.

Primo ideo in libello ipso breuiter quaedam praemittuntur de transactionis natura, quibus ac fundamento solidissimo ac firmissimo, totum superstruatur aedificium, quod erigere mihi in animo est: nam ex iis deducenda erit sententia, coactam non solum non existere transactionem, sed ne cogitari quidem posse.

Quibus absolutis, leges ipsas Romanas ac Canonicas euoluere liceat, ad explicandum cognoscendumque id, quod in iis hac de re sanctitur. Quo facto ne minimum quidem vlli manebit dubium, quin argumentum et sententia illarum vsque ad minutissima conueniat cum praemissis ex compositionis natura deductis praecceptis, ita vt, non existente

stante libera in negotio, quod transactionem dicunt, partium voluntate, tantum absit, ut amicabilis id vocari queat compositio, ut multo potius litium finis ac diremto sit tyranica vi ac compulsione facta.

Nec minus legislatores Germani curas omnes cogitationesque suas in eo fixerunt, ut rite, tam appositione verbi *gütlichen Vergleich*, quam expressa omnis coactionis prohibitione, transactionis naturam constituerent, cuius rei plura proferam exempla, ex legibus Imperii et specialibus sanctionibus, deducla, nec praetermittam ea, quae sapientissimi patriae meae patres in ordinationibus iudicariis Hamburgensis cauta esse voluerunt.

Quibus praemissis, de vi atque auctoritate iudicis circa transactiones iudiciales, verba facienda sunt. Iudiciales dico, nam de his tantum, vel de litis compositione sub ipsis iudicis auspiciis quoquis pacto amice facta, loquimur. Vis vero atque auctoritas illa, tam ex natura officii iudicis, quam ex legum praceptis erui debet. Cum ideo iudicis officium praesertim in eo consistat, ut ius suum cuique tribuat, litesque finiantur, quod, vel cognita causa sententia definitiva ex legibus praescriptis, fieri potest, vel, tam ante causae cognitionem, quam post illam, transactione tentata ac promota: duo vero tantum modi cogitari possint, quibus index in transactionibus auctoritatem potestatemque

C 2 suam

suam exercere queat, vel suadendo ac adiuuando amicablem compositionem, vel cogendo ad eam p); facile apparet ex duobus his modis tantum illum applicari posse, qui Iudicis officio non repugnat, id est, Iudicem tantum *suaſione* adiuuare posse concordiam, ne iniustitiam exerceat: nam quia in transactione primum ac praecipuum iudicis officium, lus suum cuique tribuendi, in summo otio quiescat; secundum vero, lites quam primum finiendi, ne ex earum protractione detrimenti aliquid capiat vel Respublica vel singula eius membra, vim suam vnicē in transactione exserit; sine dubio patet, primum ac praecipuum iudicis officium, non ita absorberi posse ab altero illo, vt etiam, si tantum lites finiantur, iniustitia locum reperiat. Quod cum ita sit, cumque sit transactio saluberrimum contra lites ac discordias remedium, sequitur, iudicem, litigantibus hanc admouere curationem omni modo iuri illorum non repugnantem, esse obstrictum. Transactionis *suaſio* sanctum ideo suum est officium, quod si neglet non solum peccat, sed etiam, quia parum officii sui sit memor,

p) Suaſio atque coaſcio etiam duobus diuersis modis cogitari possunt: primo partes litigantes tantum ad transactionis actum suaderi ac cogi possunt, non facta mentione rationum quas in transigendo sequi debent: secundo vero iis etiam praecipi atque praescribi possunt rationes, quas a partibus obſeruari vult Iudex, qui vel transactionem suadere tentat, vel ad eam cogere, non iniustum existimat.

mor, poenae euadit reus *q).* Illà enim quam primum finiuntur lites partibus adsentientibus, nihilque de iure illarum diminuitur. Quid vero de coactione sentiendum? Etiam illà lites finiuntur, sed an quoque illà iustitia administretur, facile quisque perspiciat, cui obseruare placet, vnum litigantium imperata cogi transactione, vt a iure suo recedat, vt remittat quod iure meritoque illi competit, vt det quod dare illi non conuenit, vt tandem retineat, quod si iustitia seruaretur, retinere nunquam possit. Quid vero nunc de coactione sentiendum?

Idem etiam quod ex iudicis officii natura patet, aequo student voluntque leges Romanae, Germanicaeque, quas repetitas inuenies in ipso meo libello. Omnes vero in hac re consentiunt, vt Iustitiae sacerdotibus imponant officium, amicabilem suadendi adiuuandique compositionem; ab omni coactione autem uno ore eos retineant arceantque, cuius rei praclarum videre potes exemplum in Nouella 124. c. 4.

Quam magna vero sit utilitas vt suadeatur tenteturque amicabilis compositio, praesertim quibusdam in casibus, optime speciales quaedam Germaniae leges definiunt, quarum argumentum ex ZIEGLERO adducere placet. Inquit vir summus in conclusione sua iam supra laudata, §. 4ta. „Imprimis

C 3

a

q) VENTVR. de Valent. in Parthen. litig. 1. 2. c. 4. n. 9.

a iudice tentanda est compoſitio eo caſu, quando ſcandalum aliquod ſubeft, aut ex alterutra parte existimationis di- minutio metuitur; quando res eſt modici praeiudicij; quando inter propinquos aut magistratum et ſubditos iis verti- tur; quando negotium pauperes, viduas et miserabiles perfonas concernit, et in iſtius modi cauſis aliis. Tum enim vel maxime incumbit iudici, litigia in principiis ſuis ſuffocare et extingueſcere, ne vitiiſ partium inquinentur et iusta licet ab alterutra parte ſint, per longiorem proceſ- ſum iniuſtitiae maculam attrahant, et f. p. r.) .,,

Splendidissimum vero ſententiae noſtræ, transactionem nempe fuaderi tantum, non vero imperari poſſe, testimonium dat noſtris temporibus Boruſſorum Rex, in nota illa cauſa Leodicensi, qui, conuocatus ad reducendam Reipu- blicae Leodicensis tranquillitatem, grāue hoc opus quidem in fe ſucepit, curas cogitationesque suas in eo collocauit, vt discordia componatur, litesque, quam facillime fieri poſlit faluberrimo illo transactionis remedio finiantur: attamen tantum abeft, vt ad explenda ſapienſiſſima ſua conſilia co- actionem adhibeat, vt multo potius verbis ſuis ipſiſſimis mox adducendis, fatis probet, de huius theoriae veritate, trans- actionem a iudice fuaderi ac adiuuari, ſed nunquam imperari poſſe, ſe quam maxime eſſe perſuafum. Verba haec notif- sima

r) Exemplum etiam eſt ordinatio Iudicaria Saxon, ab illo citata.

fima in epistola a Rege Borussorum ad Leodicensem Episco-pum ad. d. 31 Decembr. 1789 scripta, exstant, ac sic sonant:

„Votre A. a été plusieurs fois et instamment invitée „par mon Commissionnaire et par les Etats de Liège „de revenir dans son pays pour y travailler à la pacifi-cation. Elle peut s'y rendre encore et jouir de „toute la sûreté personnelle et du respect qui est dû „à ses qualités, tant par la soumission volontaire de „ses sujets, que sous l'assistance de mes troupes, et „il me semble que V. A. déroit le faire encore „sans hésiter et sans délai ultérieure, pour ouvrir „une voie de la conciliation si nécessaire dans „cette affaire. — — Je propose pour cet effet de „nouveau a V. A. qu' Elle retourne sans délai a „Liège &c., et sic porro amicabilis adducuntur ra-tiones compositionis; tunc Rex ita pergit:

„Je me tiens persuadé, que si V. A. veut choisir la „voie de la modération et de la conciliation, que „je Lui propose Elle parviendra au but salutaire de „s'accommorder avec les Etats de son pays sans sacri-fier des prérogatives essentielles et réelles de sa „principauté. Mais si Elle insiste invariablement sur „l'exécution plénière et littérale des décrets de Wetz-lar, je ne puis, qu' abandonner cet besogne à d'aut-

„tres,

„tres, qui peuvent y trouver plus de facilité que
 „moi, et dans ce cas il ne me reste pas d'autre
 „parti à prendre, que de rapeller mes troupes de la
 „Principauté de Liège et de rénونcer a toute cette
 „commission etc., s).

Sequuntur adhuc in fine harum litterarum multae eaeque gra-
 vissimae admonitiones ad pacem concordiamque restituendam.
 Quibus verbis apertissimum magnus ille Rex omnibus iudicibus
 dat exemplum, quomodo in transactionibus quisque se-
 gerere debeat. Sua lex pacis summum est illorum officium;
 nisi vero ex sententia succedat, desistere debent ab illa, nec
 vim adferre in eo negotio ubi libera voluntas essentialie quid
 efficit. — Sed haec sufficient. Plura hac de re in libello
 ipso disputabuntur.

Interea spero neminem futurum esse, qui cum hac ad
 transactionem ineundam compulsione, illam vim, atque co-
 actionem commutet, qua iudex partes litigantes etiam iniui-
 tas compellat, vt coram se stant in iudicio, ac tentari pa-
 tiantur transactionem. Quam enim, vt supra dictum est,
 praecipuum iudicis officium in eo consistat, lites diminuendi,
 sponendi, ac, prius quam erumpant, comprimendi; opus est,
 vt omnibus sine ulla limitatione vti debeat mediis, quorum
 cura,

b) Politisches Journal Jahrgang 1790. I. Stück S. 67 seq.

cura, ipsa sua iurisdictione, illi iam demandata est, quibusque ad exitus optatos propositumque finem peruenire liceat; dubium non est, quin, nisi sponte et vltro ad illam accedere velint litigantes, eos vi cogere possit inuitos. Quanta vero intercedit differentia inter coactionem ad tentandam in iudicio compositionem, interque compulsionem ad ipsum transactionis actum, dicere non attinet, omnibus cum sit notum ac manifestum, hac ius quaesitum alicui auferri, illa vero tantum ad officium reduci partes.

Quibus praemissis opiniones Iureconsultorum, qui in eam abeunt sententiam, transactionem et imperari et ad eam cogi posse, pluribus in ipso meo libello recensere, in causas, quae viam huic sententiae patefecerint, inquirere, vanitatemque, quantum in me est, illius probare, operam dabo. Nunc vero paucis monuisse sufficiet; *duas* praesertim esse caussas, quare Iureconsulti nec compositionis naturae, nec legibus contrariam esse coactionem crediderunt; quarum prima *aequitatis studium* est, ne aliquid detrimenti capiant, ex iustitiae protractione processuumque longaeuitate, partes litigantes. Quod cum quidem sit laude dignum ac per se praelarum, nihilo tamen fecius summam inducit iniustitiam; quid enim iniustius esse potest, quidque magis rapinae prae se fert speciem, quam violenta rei, iure meritoque mihi competentis, ablato, a iudice facta, cuius praeципuum, ius suum

D

cuique

cuique tribuendi, est officium, cuique suam salutem commit-

tunt litigantes?

Secunda vero, nisi fallor, causa, quare hanc, trans-
actionem videlicet imperandam esse, arripuerunt sententiam,
ex eo profiscitur errore, quod iudicis saepe commutarunt
virtutem ac vim cum Principis potestate, qui, reipublicae uti-
litatis caussa, omnino interdum ius suum quaelitum alicui
auferre, illumque, ut a iure suo recedat, cogere potest. Dif-
ferentiam interea, quae inter eos intercedit, multi vel in
totum neglexere, vel si etiam obseruauerint, non ea, qua-
par est diligentia ac subtilitate distinxerunt. Iudicem autem
qua talem, omnibus contendo viribus, nunquam ab illa via,
lege ei praescripta, ut partes in iudicium protractas ad con-
cordiam admoneat; deinde vero, nisi compositio illi ex sen-
tentia succedat, cognita caussa iustitiam administret, atque,
vel ex verbis legum, vel, nisi lex adsit, ex aequitate, ratio-
nibus, hinc inde militantibus, rite perpensis, sententiam pro-
nuntiet definituam, nunquam aberrare debere; nihilque ad
potestatis ius dicendi interest exercitium, *vtrum iudex sit super-
ior vel inferior*: ambobus enim norma atque lex est praescripta,
quam eo magis strictissime debent sequi, quod, si
tantulum ab illa recedant, iniustitiae rei se reddunt. Princeps vero, cum Reipublicae omniumque membrorum con-
iunctim considerata salus praecipuum ac summum sit bonum,

salus

salus autem vniuersiusque membra in tantum pro scopo
 illi posita sit, in quantum haec cum illa consistere potest,
 ex potestatis plenitudine vel vi legitimi imperii, interdum
 saluti reipublicae postponere valet singulare cuiusdam ius.
 Quod cum ita sit, prono ex praedictis fluit alueo, esse quo-
 dam casus, in quibus decidendis Princeps auctoritatem suam
 interponere, iudicis vero potestas plane ac in totum cessare
 debet. In iis ideo a iure consueto receditur, litesque, non ex
 lege communi, sed ex necessitate urgente, rationibus huic
 foli casui adaptatis, vnicque a principis arbitrio penden-
 tibus, finiuntur. Interea arbitraria haec sententia, cuius fons
 et caput principis est potestatis plenitudo, quaeque vel ab
 ipso principe, vel a iudice, quatenus demandatam habet vim
 atque potestatem illam, pronunciatur, ac in lingua nostra ver-
 nacula, *ein Machtsspruch*, vel *das richterliche Durchgreissen*, appel-
 lari solet, admodum differt a negotio, quod coactam ac im-
 peratam dicunt transactionem (*einen erzwungenen oder gericht-
 lich anbefohnten Vergleich*). Quam ut rite constituamus diffe-
 rentiam, paulo diutius in ipso nostro libello huic im-
 morari licet loco; nunc vero primas saltem lineas indicare
 nostrum est.

D 2

vel

Vox illa „Machtsspruch“, anceps ac multiplex est, sub
 eaque vulgo omnes comprehenduntur arbitrariae pronuncia-
 tiones, ad quemicunque finem tendentes, et a quoconque

vel a principe, vel ab arbitro, vel a iudice, vel a Domino, et s. p. prolatae. Sic v. gr. sententia a Principe ex potestatis plenitidine lata, quā dissensui ac votorum consulti paritati pūnctum aliquod decidendo; nec minus omne id, quod a superiore contra processus formam pronunciatur; ac vt paucis dicam, quodcunque sit pronunciatum, quo aliquis facultas ac potestas agendi limitatur, vel aliquid extrajudicialiter iubetur, hoc nomine appellari solet. Qua de causa, ne fluctuemus ac versemur in ambiguitate, necessum esse video, definire, quid sub hac comprehendimus expressione.

Nobis vero est „Machtspruch,: Sententia, quae à libero principis pendet arbitrio, ac ab illo, vel ad salutem communitatemque Reipublicae adiuandam, vel ad magnam iniuriā a priuatis remouendam, necessitate utilitateque id exigente, ex plenitidine potestatis vel vi legitimi imperii t)

pro-

t) Nos duplēcēm hunc arbitriae huius sententiae fontem indicamus, ne lis nobis cum iis sit, qui, et si principem ex plenitidine potestatis subditis quidem ius suum auferre non posse contendunt, attamen affirmant, illum ex utilitate publica multa contra rationem naturalem, vi legitimi imperii non vi plenitudinis potestatis statuere posse, vt v. gr. Cocceius in Iur. Controv. L. 1. T. 3. Quaest. 8. ac Tit. 4. Quaest. 11, ubi adhuc addit, principem tunc non contra rationem naturalem statuere sed secundum eam, cum haec suadeat, ingruente necessitate reipublicae

profertur, quaque subditis ius quaesitum auferatur. Ex qua definitione patet, nos de tali sententia loqui, quae in meritis causae pronunciatur contra iura communia, neque eiusmodi potestatem presupponere, quae pro lubitu, quomodo cunque, quandocunque, et nullius, nec utilitatis publicae, nec alius rationis intuitu contra ius commune in praeiudicium alterius ex sola pro ratione stante voluntate, se exserat u).

Quod autem ad exercitium huius potestatis attinet, negari non potest, princeps cum sit illius fons atque caput eam, ut omnia quae ex plenitudine sua potestatis procedunt, vel illi vi legitimi imperii competunt, in alios transferre posse. Qua de causa noua hic oritur diuisio, quae si negligatur, omnia turbantur totumque negotium lubricum fit ac vagum, quamque in lingua nostra vernacula optime definire possumus verbis: — *Machtspruch*, atque — *Richterliches Durchgreiffen*. Si videlicet princeps ipse arbitra-

D 3

riam

publicae, etiam ius quaesitum subditis auferre. Contenditur praeterea tantum de verbis non de re ipsa, dum arbitrarias sententias effectus imperii non plenitudinis potestatis esse vult, quod reliquum vero est consentit, Principem necessitate id exigente subditis ius quaesitum auferre posse: quod iam rite animaduertit V. Cel. STRUBEN in seinen Rechtlichen Bedenken Tomo IV. Bedenken XLIX. p. 113.

u) Conf. MARTIN. SCHRADERUS de Sententiis Principum ex potestatis plenitudine latis. Cap. I. §. 5.

riam hanc ex potestatis plenitudine profert sententiam, illam sensu strictissimo, einen *Machtspruch*, appellamus; si vero ab alio haec potestas, vi facultatis a principe sibi concessae, exerceatur, illam optimo iure, das richterliche Durchgreifen, dicere possumus. Ab hac vero expressa superioris concessione, eo modo pendet Iudicis potestas, arbitrarias in publicum proferendi sententias, ut, nisi praevia illa, iudex vel superior vel inferior sineulla exceptione, legem communem attendere debeat, nec sibi aequitatem aliquam fingere, aut lege mitior esse queat.

Quod tamen ad obiectum harum arbitrariarum sententiatarum attinet, id spectare diximus vel ad adiuuandam salutem, comoditatemque Reipublicae, vel ad remouendam magnam a priuatis iniuriam. Si totius Reipublicae ratio habetur salutis, non inficiandum esse mihi videtur, Principem etiam Ius suum quae situm alicui auferre iustitiamque denegare posse, nullo habito respectu quantopere illi fraudi ea res sit, nec, a damnnum datum aliquo modo resarciri queat. Tunc enim optimo iure dicti illius Plutarchi facienda est applicatio: „A iustitia in paruis nonnumquam abeas rebus, si saluam eam vis in magnis.”

Si vero ratio tantum commoditati Reipublicae habetur, nunquam Principi, ut Reipublicae consulatur, ius quae situm quod-

quodcunque sit, cuidam auferre licet, nisi ea lege atque conditione, ut damnum datum, vel ab ipso Principe, vel ex aerario resarciantur.

Quodsi vero, ut priuatorum saluti consulatur, arbitria sententia ex potestatis plenitudine lata sit status personarum preeprimis habenda est ratio, summa vero aequitas nunquam, nec a principe nec a iudice ex oculis omittenda. Quod ut, quam facillime fiat, interdum a Principe ea potestas, quae illi soli vi legitimi imperii competit, in iudices est translata. Quia causa ansam dedit ad id, quod „*das richterliche Durchgreissen*“ appellamus. Iudex vero in exercenda illa noua, ei a superiore demandata potestate, omnes curas cogitationesque suas in eo defigere debet, ne limites, sibi praescriptos vel tantillum transeat. Interea ne in re dubia ac vaga versemur, species quasdam talis demandatae potestatis afferre, operae pretium erit. Sed opus est, ut praemoneam, in hoc ipso exemplo, ex Ord. Cancell. Cell. ab anno 1697. art. 2. defumto, id quod nobis est arbitria sententia ex plenitudine potestatis lata, coactam applicari transactionem x). Quod cum ex contextu prono
fluat

x) Fere ita semper res se habet, ut nomen coactae transactionis commutetur cum arbitria decipline, quod iam adnotauit SCHILLER in Exerc. ad D. 9. §. 25. HEIMBURG l. c. §. 72 et 73. atque PAUL. WILH. SCHMID in Dissert. de officio ac prudencia iudicis circa amicabilem litium compositionem §. 2. p. 6.

fluat alueo, ac nos in verbis faciles simus, consilium nostrum non mutat, loco exempli illud allegare.

„So kann zwarten regulariter Niemand zu gütlichen „Vergleichen gezwungen werden: Alldieweil aber dieselben offtermalen durch vorsezliche Widrigkeit der Partheyen „und deren Bedienten mehr, als der Sachen Schwer- und „Wichtigkeit halber rückgängig werden; Und dann bey „denen Rechtsgelahrten etliche Fälle zu befinden, worin „ein gewissenhafter Richter die streitigen Theile, ex officio „ad transigendum zu nöthigen und dero Behuff gewisse „billigmässige Verträge zu errichten und vorzuschreiben erlaubet. So mögen unsre Statthalter, Canzler und Räthe „nach Befindung in solchen Terminis auf billige Weise da „mit ebener Gestalt, auch endlich inuitis partibus verfahren, „und dadurch die Partheyen zu ihrem selbst eigenem Be „sten in Ruhe sezen. Darüber wir denn jedesmahl Lan „desfürstlich halten wollen..“

Species vero illae, quando hocce lites finiendi remedium ad magnam a priuatis remouendam iniuriam applicari debet, exprimuntur in Ord. Cane. Calenb. T. 9. §. 5. „Wenn „es Sachen von keiner grossen Wichtigkeit seyen oder dieselben, pias causas, Witwen, Waisten und sonst miserabilles personas oder nahe Anverwandten betreffen.,, y)

Facile

y) Vid. PVFFENDORFF Introd. in process. civil. Elector. Brunswico Luneburgici Francof. et Lips. 1733. p. 236. P. II. c. II. de citatione. §. XVII.

Facile quisque perspiciet, in his praestantissimis ordinationibus Iudicariis, nihil aliud sub voce transactionis coactae comprehendendi, quam quod nobis est arbitraria decisio.

Nunc vero adhuc supereft, vt inquiramus an, licet fere semper vtraque lites finiendi species inter se se committentur, re vera nullum inter eas intercedat discrimen. Quod quidem affirmo, si ad effectum attendo; si vero ad formam animaduerto nullum est dubium, quin negandum sit; nam in arbitraria sententia plane atque omnino non attenditur consensus partium, quod longe aliter est in transactione coacta: in ea enim, ne plane cesseret primum transactionis fundatum, quod est partium consensus, coacta requiritur voluntas, quae vim suam exserit, vel in ineundo transactionis actum non praescriptis regulis, quarum ad normam pax sit facienda, concordiaque restituenda, vel in transfigendo ex modo aut a Iudice aut a principe praescripto, quem in omnibus capitibus sanctissime sequi debent partes. Non quidem me fugit tantorum causas errorum ex falsa, de voluntate coacta adsertione proficisci, quae, licet re accuratius considerata, contradictionem in adiecto continet, attamen differentiam quandam externae formae negotii inesse probat; quae differentia vnicce in modo, quo iudicis sententia cum partibus communicatur, iisque pronunciatur, consistit. Praeterea vero cuique manifestum erit, multa adhuc in hac differ-

tationis parte accuratius esse desinienda, quae quidem in aliud magisque opportunum tempus differo.

Denique meum erit, cum iam supra breuibus annotaverim, nullos esse casus, in quibus negotium illud, quod transactionem innitam et coactam dicunt, locum habeat, ac sicut unicum saluberrimumque ad lites finiendas considerari possit remedium; paulo fusiū exponere, quid sit in iis casibus iudicis officium, nisi saluum illi ad imperatam transactionem refugium maneat.

Quod attinet ad primum supra adductum casum, quo efficitur, concordiam esse compellendam, quando lis cum publico ciuitatis coniuncta sit scandalo; in eo Iudicis mihi videtur esse officium, omnibus suis viribus eo tendere, ut concordiam suadeat z). Ardor vero suus modum excedere non debet, quod fieret, si HEVMI consilium sequeretur, qui in Decisione 225. Part. I. Iudicem moras trahere in decernendis aut expediendis processibus iubet, ut taedio litis ad reconciliationem adigantur partes. Tentata autem incassum compositione tantum abest, ut ad eam cogere possit, yt
multo

z) Quod optime expressit HEVMANNUS in libro suo inscripto:
Geiß der Gesetze der Teutschen, c. 20. p. 30. *Der Richter soll sich angelegen seyn lassen — — in freitigen Sachen — wenn daraus ein öffentliches Aergerniß erwachsen würde — auf einen Vergleich mit Ernst zu dringen.*

ab. f. 100v. C.

Multo potius viam Iuris sequatur, ac praevia causae cognitio in processu ordinario sententiam pronunciet: suaque denique non refert, an publicum ex eo proueniat scandolum nec ne, nisi, ex potestatis plenitudine a Principe illi concessa, arbitrariam etiam in hoc casu proferre sententiam, ius obtinuerit:

Si secundum sumas casum, idem quod mox proposui obtinet. Iudex qua talis, enim in via iuris incedere, ac ex lege litigium finire debet. Si vero respublica vel publica quies in ordinaria pertractione turbati possit, Principis est, vel illius, qui ex voluntate sua talia litigia quam primum arbitrariā finire queat sententiā, auctoritatem suam interponere, omnesque curas, cogitationesque impendere, ne aliquid detrimenti capiat Respublica, conuenientibusque mediis conseretur inter partes pax ac concordia.

Si metus subsit armorum optime iam decidit ZIEGLERVS, inhibitionibus ac interdictis plus esse tribuendum, quam concordiae per coactionem et sic tantum in speciem initae. Iudex ideo litigantes, ne ad arma et rixam procedant, non aliter, quam Iurisdictione sua componere potest L. 13. §. 3. D. de vusu. Imperare vero necessitate urgente, ut ab armis abstineatur, tranquillaque maneat Respublica nemini nisi principi competit, qui tamen, ut coacte

E 2 quis

quis transigat, iusque suum remittat, sine potestatis suae abusu iubere nequit.

Quid vero de illo casu sentiendum, quando ob litis longaeuitatem nulla certa decisio a Iudice inueniri possit? Longaeuitati vi Iurisdictionis suae fibulam iniicere debet Iudex, cuique negotio certos, sub poena praelusionis, statuendo terminos a).

Qui vero fructus e coacta expectari possit reconciliatione in casu quinto equidem non perspicio. Nam si ita subtilis sit articulus controversus, ut vtri parti assentiendum non apparet, ex hominis iam sequitur natura, qui semper recte fecisse aut vera dixisse contendit, coacta reconciliatione fortasse ad tempus sopiri posse lites, sed eo tantum consilio, ut mox noua accedente causa, quam ubique locorum, antiquo instigante odio, consequantur litigantes, denuo maioriique cum impetu erumpant. Res vero longe aliter se habet si sententiā definitiā conficiantur ac terminentur litigia; victori enim tunc nulla adest lites renouandi causa, victimū vero noui damni timor retinebit. Re interea propius ac accuratius considerata, mihi nunquam inueniri posse videtur causa quaedam litigiosa adeo subtilis ac perplexa, quin rationibus accurate ponderatis facile appareat, vtri sit assen-

a) Vid. ZIEGLERVS I. c. §. 14.

assentendum parti. Rebus vero sicstantibus, ex legum principiis ferre debet sententiam Iudex.

In sexto casu prolatu tantum abest, ut coactae transactioni sit locus, ut multo potius, rei, necessitate id exigente, celere requiratur iudicium cum effectu pronunciatum, nec cauillationi obnoxium.

Ad lites inter personas valde inuicem coniunctas soperendas ac finiendas, libera sine dubio transactio optimum ac saluberrimum est remedium; coacta vero, ut et a priori et a posteriori argumentis ex experientia ducis probari possit, inimicitiam alit, ansamque partibus ad nouum acriusque bellum praebet. Iudicis ideo est officium praeprimis omnibus viribus compositionem tentare ac suadere; nisi vero id illi ex sententia succedat, quam primum fieri possit, vel sententiā definitiā, vel, quod iudicis arbitrio relictum, arbitraria decisione finire lites, suum est.

Quando denique de praeiudicio tertii agitur, omnimode curare debet iudex, ut saluus ac incolumis maneat tertius, quod tamen nunquam coactione dissidentium ad transigendum, optimo unicoque modo fieri potest; sunt enim plura alia, longe multumque praestantiora remedia, quae maiorem non solum dant securitatem tertio, sed etiam omnem prolationem iudicij impediunt, ut v. gr. cautiones, alia.

E 3

Sed

Sed temporis angustia circumscriptus, pedem hic sistere
coactus sum, licet plura adhuc relicta sunt capita, i quae
maximi, ad decidendam propositam multumque intricatam
quaestionem, sunt momenti. Quod reliquum est maximo-
pere peto L. B. vt nunquam obliuiscaris me magis, necessita-
te urgente, hanc, breui temporis spatio conscriptam, opellam
diuulgasse, quam quod illam grauitate auctoritateque tua
dignam haberem. Quare differas quaeso iudicium vsque
ad libelli ipsius diuulgationem, in quo Tibi omnis haec dispu-
tatio et in melioreni ordinem redacta, et maiori cum
diligentia elaborata tradetur. Vale mihi que faue.

Theses.

T h e s e s.

I.

Consensus liberorum ad legitimationem nostris temporibus est necessarius.

II.

Naturales per subsequens matrimonium legitimati succedunt in feudis, nec iis obstant verba II. feud. 26. §. 11. Naturales filii, licet postea fiant legitimi ad successionem feudi non admittuntur.

III.

Pacta in favorem tertii inita omnino valida sunt.

IV.

Valide de reličiis in testamento ante tabularum inspectionem transigi potest.

V.

V.

In actione negatoria semper reo, licet accus possefforios exercuerit, probationem imponi, veriorem habeo sententiam.

VI.

Error tituli non impedit, quo minus in alterum per traditionem transferatur dominium.

VII.

Feuda extra curtem sita, subiiciuntur et supremo iudicio domini territorialis.

VIII.

Clericus Iurisdictioni seculari obnoxius redditur per re-conventionem.

IX.

Licet etiam in rei vindicationis actione fructus percepti in specie non petantur, index tamen ex officio de illis adiudicandis sollicitus esse debet.

Göttingen, Diss., 1790-91



f

TA → OL
nur 1 Shick v



25
1790, 1 1

PROLVSIO SISTENS
BREVEM QVAESTIONIS IN DISSERTATIONE
INAUGVRALI IVRIDICA MOX FVSIUS EXPOENDAE
EXPLICATIONEM
A N
TRANSACTIO PARTIBVS
INVITIS IMPERARI POSSIT.

P. 500.
QVAM
CONSENTIENTE
ILLVSTRI IVRECONSVLTORVM ORDINE
A. D. VI. APRILIS MDCCCLXXXIX
H. L. Q. C.
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE CONSEQUENDIS

DEFENDENDAM SVSCIPET
IOANNES HENRICVS BARTELS
HAM BVRGENSIS

REG. SOC. SCIENT. GOETTING. ASSESSOR. ATQVE REG. INSTIT. HISTOR. GOETT.
SODALIS EXTRAORD. NEC NON ACADEMIAE VOLSCORVM VELITERNAE
SOCIVS.

GOETTINGAE
TYPIS IOANN. CHRISTIAN. DIETERICH.

